## De obitu Willelmi, ducis Normannorum regisque Anglorum, qui sanctam Ecclesiam in pace vivere fecit

*Incognita*

Anno Dominicae Incarnationis millesimo octogesimo septimo, piissimae recordationis rex Willelmus, dum a Medantae subversione seu combustione reverteretur, cepit fastidio tabescere et nausianti stomacho cibum potumque reicere, crebris suspiriis urgeri, singultibus quati ac per haec virtute destitui. Quod cernes, iussit sibi parari habitaculum apud ecclesiam Sancti Gervasii, quae est sita in suburbio urbis Rotomagensis, ibique viribus desertus, lecto sese committit. Porro quis explicare pro Ecclesiae statu sollicitudinem, vel pro eius concussione merorem, quid narrare lacrimarum flumina, quas pro acceleratione divinae fundebat clementiae. Non enim se recessurum dolebat, sed quid futurum noverat gemebat, affirmans Normanniam patriam esse post suum obitum miseram, sicut posea rei probavit eventus. Aderant autem eius consolationi venerabiles antistites, et alii servi Del plurimi, inter quos erat Willelmus, archiepiscopus prefatae urbis, Gislebertus, episcopus Lexoviensis, Johannes Medicus et Gerardus cancellarius, sed et Robertus, comes Moritoniensis, frater eiusdem regis, quem quanto sibi propinquiorem noverat, tanto ei familiarius sua omnia credebat. Iussit qutem eidem venerabili fratri suo Roberto, ut ministros camerae suae ante se venire faceret, et rem familiarem quae constabat in thesauris regalibus, scilicet coronis, armis, vasis, libris vestibusque sacerdotalibus, persingula describi iuberet. Et prout sibit visum fuit, quid ecclesiis, quid pauperibus, postremo auid filiis largire deberet edixit. Et Willelmo quidem, suo filio, coronam, ensem, sceptrum auro gemmisque redimitum habendum permisit. Inter haec tam venerabilis antistes Willelmus quam ceteri qui aderant verebantur ne forte suo filio primogentio Roberto implacabilis esse vellet, scientes quod vulnus frequenter inscisum aut cautherio adustum acerbiorem sustinenti propagaret dolorem. Fisi tamen de eius invicta patientia, qua semper usus est, per archiepiscopum Willelmum, cuius verba spernere nolebat, animum illius leniter pulsant. Qui primum quidem amaritudinem sui monstravit animi. At vero parumper deliberans, et viribus quantuliscumque collectis, enumerare videbatur quot et quantis ab eo afflictus sit incommodis, dicens : Quia ipse, inquit, venire satis non vult aut dedignatur, facturus ego quod meum est, ago : vobis testibus et Deo, omnia quae in me peccavit, illi remisso, et omnem ducatum Normanniae sibi concedo (quem, Deo teste et proveribus palacii, illi, iamdudum ante largitus fuerat). Vestrum autem erit illum movere, et, si ego illi totiens perpere gesta indulsi, ille tamen sui non obliviscatur, qui canos paternos deduxit cum dolore ad mortem, et in talibus communis patris Dei precepta minasque contempsit. His dictis, petivit ut in se celebraretur Visitatio et Unctio infirmorum, et per officium archipresulis et per magnus eius iuxta morem Communio sacra sibi traderetur. In talibus ergo vitae presentem terminum sortitus, ad requiem feliciter, ut credimus, commigravit. Decessit autem quarto idus Septembris, anno vitae suae quinquagesimo nono, et Angliae quidem prefuit per annos viginti duos.

Fuit autem ipse rex omnium, qui sua ette gentibus dominabantur, et prudentia maximus, et animi magnitudine prestantissiumus, nichil in iis, quae vel suscipienda erant vel exequenda, aut propter laborem detrectavit, aut propter periculum exhorruit verum unumquodque secundum suam quialitatem et subire et ferre doctus, ut in adversis cedere, et in prosperis falso blandientis fortunae assentire solebat. Corpore fuit amplo atque robusto, stantura eminenti, quae tamen iustam non excederet, in cibo et potu temperatus, sed in potu temperantior; quippe qui ebrietatem in qualicumque homine, nedum in se ac suis plurimum abhominabatur. Vini et omnis potus adeo parcus in bibendo erat, ut post venam raro plus quam ter biberet. Erat eloquentia copiosus et exuberans, poterat que quicquid vellet apertissime expellere, voce rauca quidem, sed quae nichilominus formae conveniret. Religionem christianam, qua ab infantia fierat imbutus, et cum summa pietate ecclesiam mane et vespere et sacrificii tempore, quoad eum valitudo permisit, impigre frequentavit. Tandem omnium animis sedit nusquam eum honestius tumulari posse, quam in basilica, quam

ipse ob amorem et honorem Dei et sancti Stephani prothomartiris proprio sump in Cadomo construxerat, et sicut antea disposuerat. In hac ergo sepultus, et arca argentea seaurata supra tumulum eius est extructa per filium suum Willelmum, qui ei in regno successit Anglico.

Epitaphium regis. Hic titulus in eadem huiusmodi aureis litteris scriptus:

*Qui rexit rigidos Normannos, atque Britannos*

*Armis devicit, fortiter optinuit,*

*Et Cenomannenses virtute cohervuit emses,*

*Imperiique sui legibus applicuit,*

*Rex magnus parva iacet hac tumulatis in urna,*

*Sufficit et magno parva domus domino.*

*Addiderat septum ter quinis Scorpius, unam*

*Virginis in gremiis Phebus, et hic obiit.*